

bant. Id quod exclusum est primo uermiculus uidetur candidus, iacens transuersus adhaerensque ita ut pars cerae uideatur. Rex statim mellei coloris, ut electo flore ex omni copia factus, neque uermiculus, sed statim pinniger. Cetera turba cum formam capere coepit, nymphae uocantur, ut fuci serenes aut *cephenes*. Si quis alterutris capita demat prius 49 quam pinnae habeant, pro gratissimo sunt pabulo matribus. Tempore procedente instillant cibos atque incubant, tum maxime murmurantes, caloris, ut putant, faciendi gratia necessarij excludendis pullis, donec ruptis membranis, quae singulos cingunt, ouorum modo uniuersum agmen emergat. Spectatum hoc Romae consularis cuiusdam suburbano, aluis cornu lanternae tralucido factis. Fetus intra XLV 50 diem peragitur. Fit in fauis quibusdam qui uocatur clauus, amarae duritia cerae, cum fetum inde non eduxere morbo aut ignauia aut infecunditate naturali; hic est abortus apium. Protinus autem educti operantur quadam disciplina cum matribus, regemque iuuenem aequalis turba comitatur. Reges plures 51 inchoantur, ne desint; postea ex his suboles cum adulta esse coepit, concorde suffragio deterrimos necant, ne distrahant agmina. Duo autem genera eorum: melior <rufus, deterior> niger uariusque. Omnibus forma semper egregia et duplo quam ceteris maior, pinnae breuiores, crura recta, ingressus